

3098 Patavii ad S. Andream.

IIII
IN · F · P · XL
R · P · XL


Sanutus f. 56.

3099 Patavii in museo publico.


IN · FR
P · XL

Contuli. Furlanettus tab. 55 (in opere desideratur).

3100 Patavii in ecclesia S. Iustinae ANT. et RELIQUI; qua ad sacellum S. Prosdocimi pergitur in pariete add. URS. Ibidem adhuc.



in aetoma
intra coronam:
† OPILIO · VC ·
ET · INL · P · P · ADQ ·
PATRICIVS · HANC
BASILICAM · VEL · ORA
5 TORIVM · IN HONORE ·
sic SCA · E · IVSTINAE · MAR
TYRIS · A FVNDAMENTIS
COEPTAM · DEO · IV
VANTE · PERFE
10 † CIT †



Contuli. Antiqui exemplum habent Marcanova cod. Bern. n. 380, cod. Mut. f. 158 Pat. 19 (inde Ferrarinus cod. Reg. Pat. 52; Pingonius f. 232'; Scardeonius p. 267) et Sanutus f. 55'. Denuo ex lapide Laur. Schradaeus mon. Ital. (1592) f. 17; Pinelli cod. Ambros. D 199 inf. f. 17, qui accurate delineavit; Pignoria in add. ms. ad Gruterum missis; Tomasinus urbis Pat. inscr. sacrae et prophanae (Patavii 1649) p. 408 eodemque exemplo Ursatus 1652 p. 12 et 1678 p. 136, qui aere expresserunt (inde opinor Salomoni 1701 p. 425).

XXXV. VICETIA (Vicenza). Tribu Menenia.

De auctoribus titulorum Vicetinarum haec repperimus.

I. Vicetinae inscriptiones in Cyriaci commentariorum reliquiis reperiuntur nullae; sed in corporibus saeculi XV extat sylloge epigrammatum Vicetinarum eadem fere apud omnes, quae potest proficisci a Cyriaco, nobis dicitur ANTIQVI, exigenda autem est ut similes maxime ad Marcanovae librum Bernensem, Feliciani Venetum, Redianum. Videntur tamen praeter communia haec singuli fere auctores quiddam adiecisse aliunde acceptum. Ita Marcanova in Bernensi libro habet postea adiectos genuinum unum n. 3140, alterum falsum n. 341* Palaemonis grammatici, quae fraus antiquissima redit apud reliquos auctores excepto uno Rediano; Felicianus praeter falsum n. 342*, quem Vicetinis inseruit de suo, in Marciano libro postea adscripsit titulos duos 3108. 3157 aliunde opinor acceptos; Marcanova in Mutinensi libro praeter duo epigrammata ex Feliciano adiecta tertium habet n. 3187a aliunde non notum; solus Redianus habet n. 3117; solus Ferrarinus n. 3106; solus Iucundus n. 3172; solus Sanutus n. 3210. Neque mirum id in oppido, quod qui corpora ea compilarunt plerique certe ipsi adierunt. Praetermisimus Alciati ibrum Feanum, utpote qui Vicetina propria nulla habeat; item quae accesserunt in Iucundi codice Cicogniano 2704 petita omnino ex Feliciano.

II. Auctor is a quo veniunt Vicetina METELLI cod. Vat. 6034 f. 17' (communicata deinde a Metello cum Grutero) et PANVINII († 1569) cod. Vat. 6035. 6036, quae eadem sunt, titulos Vicetinos excepisse videtur ex ipsis saxis diligentissime, etiam versibus recte divisus; certe ex Vicetinis Antiqui in hanc syllogen nihil transiit.

III. Adscripta ad CODICEM SEMINARIJ PATAVINI n. 180 f. 183—191 quae habentur 'epitaphia civitatis Vincentiae et quae in agro ipsius reperiuntur', ea sylloge cum comprehendat etiam Vicetina Antiqui vulgaria, in universum ut extant apud Marcanovam Mutinensem eodemque plerumque ordine, accesserunt alia maxime in principio et in fine quae non habet Antiquus non inutilia. Versuum tamen divisio nulla obtinet et in universum sylloge ut a praecedente plane diversa ita ei multo inferior est. Mihi auctor eius videtur esse IULIUS BARBARANUS († 1570; cf. Calvi *Bibl. Vic.* 5, 136. 6, 136 et Franc. Barbarani *hist. eccl. di Vicenza* 3, 318), de cuius commentariolo inscripto 'Vicetiae monumenta'

edito a. 1566 vide ad n. 343*, ubi ostendi ad eum auctorem redire fraudes Arcignanenses in hac sylloge primum comparentes.

IV. LIGORIUS praeter Vicetina ea quae finxit quaeque habemus alia in Taurinensibus voluminibus, alia in Ursinianis a Gutenstenio cum Grutero communicatis (si quidem vere Ligorii haec sunt nec falsarii posterioris Ligorianis usi), in illis posuit complura genuina a falsis facile secernenda, quorum pleraque certe redeunt ad duo corpora de quibus modo exposuimus. Nam usurpasse eum quoque syllogen eam, quam habemus apud Metellum et Panvinium, efficitur praesertim inde quod in n. 3189 lectio interpolata L · PVBLICIVS pro PVBLICII reperitur tam apud Metellum quam apud Ligorium; item copiam ei fuisse Barbarani syllogae colligitur cum inde, quod falsi tituli Arcignanenses n. 343*. 344* etiam apud Ligorium leguntur, tum ex lectionibus AVRELIANVS pro CORNELIANVS n. 3106 et FILIVS n. 3145 fin. et in Patavino libro et apud Ligorium repertis. Habet tamen etiam propria et genuina, ut n. 2516. 3123, ut probabile sit syllogarum illarum vel certe alterius utrius exemplum eum nactum esse nostris plenius, interdum etiam emendatius (n. 3118. 3182).

V. Bernardinus TRINAGIUS edidit 'veteres Vicentinae urbis atque agri inscriptiones' (Vicentiae 1577. 4 foll. 31 non numeratis), adhibitis ut apparet schedis Barbarani; nam apud eum quoque legitur una certe ex interpolationibus a Barbarano primum propositis n. 3106 deestque item tituli Constantini inter miliarios infra referendi v. 3 apud utrumque ediditque primus Trinagius Arcignanensem alteram falsam n. 344*, quam ipse recte condemnat, ut alteram n. 343* magis sprevisse videatur quam non novisse. Ex eodem Barbarano Trinagius trahere potuit etiam titulos quos refert profectos ex sylloge Antiqui. Sed sine dubio alia nec pauca ipse addidit ex saxis oppidum agrumque perlustrans. Exempla non optima sunt, versuum divisio non semper observata. Librum minime frequentem posteriores plus iusto neglexerunt; ego exemplum adhibui bibliothecae Marcianae, quod habet additamenta quaedam manu scripta non magni momenti.

VI. MANUTIUS cod. Vat. 5237 f. 102—110 et denuo paucis mutatis additisque f. 426—428 quae habet Vicetina (quorum exigua pars redit in codice altero Vat. 5249 f. 40), proxime accedunt ad Triganiana, sed ubi inde discedunt, Manutiana magis emendata esse reperiuntur.